



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCVIII. An futura contingentia ex libero arbitrio propria virtute ab
Angelis certo cognoscantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

uis ex libertate & indifferentia causæ euenire. Ceterum quamuis asseramus, hos euentus causarum naturalium, & brutorum necessario euenire, aut necessario impediri ab aliis brutis, vel causis naturalibus: negari tamen non potest casus, quāuis in his fortuna locum non habeat: casus enim dicitur euentus secutus per accidens respectu alterius causæ, quam rationalis, licet necessario eueniat interuentu alterius causæ naturalis, & necessatio operantis: fortuna vero solum dicitur respectu hominis: dicitur enim solum effectus, qui accidit homini præter intentionem, etiam si eueniat interuentu alicuius causæ, naturalis & necessario operantis: quamuis ergo aliæ causæ, quæ occurrere possunt, operentur naturaliter & necessario, potest nihilominus dici casus, & fortuna.

Tertull.

Ceterum, posset quis obicere primum Tertullianus in Apologetico capit. 22. prope finem, ubi agens de diuinatione dæmonum, inquit eos semper ambiguos respondere. Subiungit autem hæc verba: *Habent de incolatu aeris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium celestes sapere paraturas, ut & pluuias, quas iam sentiunt reprobant.* Respondeo, non mirum, si Tertullianus aliud genus cognitionis futurorum euentuum naturalium tribuerit dæmonibus: cum enim existimauerit, eos esse corporeos, & sensu præditos, mirandum non est, si dixerit, eo tantum modo futuram pluuiam, & alios naturales euentus præcire; cum tamen sententia, quæ asseruit, omnes Angelos, & dæmones natura sua spiritus esse, & omni corpore vacare, verior sit, ut disputatione 178. cap. 3. & 4. probatum est, consequenter dicere debemus, pluuiam futuram & alios euentus non præciri à dæmonibus ex præfensione aliqua propter propinquitatem loci, ut manifeste patet: neque enim præcognitio intellectus ex propinquitate loci pendet, sicut præfensio per sensus corporis. Fatetur nihilominus, cum Tertulliano sensisse Athanasium libro quæstionum, quæst. 17. ubi inquit pluuiam, & Nili inundationem non posse à dæmone præciri: cum tamen dixerit, Angelos omnes incorporeos esse, ut disp. 179. cap. 3. retulimus. Habemus tamen contra Tertullianum, & Athanasium, Augustinum, qui cum existimet Angelos & dæmones non esse spirituales & incorporeos nihilominus de modo, quo præsciant pluuias, & alios naturales euentus, aliter sensit: in libro enim de diuinatione dæmonum cap. 5. docet, ipsos diuinare ægritudines, aut tempestates futuras, quas ipsi facturi sunt: quia accipiunt potestatem immittendi morbos, aërem vitando: quod sane intelligi debet fieri à dæmonibus non propria virtute, quia hæc solum possunt moueri secundum locum corpora, ut disp. 208. cap. 3. dicemus: sed applicatione causarum naturalium, quas ipsi applicare possunt. Sic dicit inferius. *Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænotantur (quæ signa in hominum sensus venire non possunt) ante prædicunt, & infra, Quid mirum si demon in aeris affectione, atque ordinatione sibi notas nobis ignotas futuras præuideat tempestates.* Et capit. 6. ea solum ratione ostendit, dæmones in hac diuinatione decipi, quia hæc ab Angelis Deo seruientibus, hoc est, bonis ex alia dispositione ignota dæmonibus ex improviso, ac repente mutantur, & paulo infra adducit exemplum quando Matthæi 8. facta est tranquillitas viso Domino: quis enim dæmon non putaret

Athanas.

11.

tempestatem illam amplius duraturam, si casus solum naturales attenderet? Nos autem diuinationem interueniat liberum arbitrium. Alium quoque modum prænantiant nobis futura assignant, idem Aug. 4. de Trin. c. 17. & 12. lib. de gen. ad lit. c. 21. 17. ut propter summam velocitatem & actionem certandi, quia certant, quæ longe distat de ea nobis prænantiant, videntur futura prædicere, quæ illis iam sunt præsentia.

Deinde contra ea, quæ dicta sunt, videtur esse idem Aug. lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 22. ubi docet, futura temporalia melius ab Angelis bonis cognoscisci, quia in illorum cognitione non possunt decipi, quia ea vident in verbo, quàm à dæmonibus, qui falli possunt, eo quod videant solum in casibus. Respondeo, Augustinum loqui de futuris ex causis solum naturalibus, sed de his etiam, quæ libero pendunt arbitrio: hæc autem à dæmonibus sola coniectura cognoscuntur in casibus, ab Angelis autem bonis in verbo, hoc est, Deo reuelante, & propterea certius ab eis cognoscuntur.

Postremo argumentatur nonnulli, ex illo Scripturæ 8. ubi tanquam proprium Dei dicitur esse, monstra cognoscere, antequam fiant: hæc autem sunt effectus naturales ex causis omnino naturalibus. Respondeo primum, id quidem non assignari ut proprium Dei, quod creature etiam non conueniat: ibidem enim de eadem Scriptura, de qua sermo erat dicitur, *Sic præterita, & de futuris æstimat*, præterita vero ab Angelis recte cognoscuntur: idem igitur de monstris dicitur credendum est, præterea dico, ibi esse sermonem de sapientia creata, quam inquit sapiens se semper amasse, & de hac dicit cognoscere monstra, scilicet præterita, & de futuris æstimare, ea dum taxatione, qua homini in hac vita permittitur est.

DISPUT. CCVIII.

An futura contingentia ex libero arbitrio propria virtute ab Angelis certo cognoscantur.

Hæc futura ab Angelis certo cognosci non posse Catholicus indubitatum esse, cap. 1.
Quæ ratione nonnulli probent, hæc futura ab Angelis certo non cognosci, cap. 2.
Argumentum difficile contra præcedentem doctrinam, cui Doctores varie respondent, cap. 3.
Vera solutio superioris argumenti, cap. 4.

CAPVT I.

Hæc futura ab Angelis certo cognosci non posse Catholicus indubitatum esse.

Nillus fuit Catholicus, imo nec hereticus, qui existimaret, futura contingentia ex libero arbitrio ab Angelo propria virtute certo cognosci posse. Horum enim certam cognitionem solius Dei omnes esse dixerunt. Et 2.æ patribus ita docuerunt Iustinus in lib. quæst. & geminis propositarum, quæst. 2. & 136. Euseb. lib. 5. de præparat. Euang. cap. 10. ubi late diserit de oraculis dæmonum. Damasci. lib. 2. de fide, cap. 4. Augustini. lib. de ciuitate Dei cap. 21. qui omnes quamuis de dæmonibus & diaboli cap. 21. qui omnes quamuis de dæmonibus & diaboli loquantur, excepto Damasci, quæ etiam de bonis

bonis eam doctrinam intelligit: inde tamen idem de bonis probandum est, si eorum tantum naturalem virtutem attendamus, quo enim fundamento dicere possumus, demones ideo non intelligere futura ex libero arbitrio, quia à Deo impediuntur, cum tamen naturali sua virtute ea possent intelligere, siquidem ex doctrina Dionysii. cap. 4. de divinis nominibus. parte 4. non longe à medio, in demonibus omnia naturalia integra manerunt: quod si demones naturali sua virtute nequeunt huiusmodi futura præcognoscere, eodem modo non poterunt Angeli boni, cum eiusdem naturæ sint.

Eadem quoque veritas Scriptura confirmari potest. Isaiæ enim 46. c. dicitur, Ego sum Deus, & non est ultra me Deus, nec similis mei annuncians ab exordio novissima, & ab initio, quæ nondum facta sunt. Cum, inquit, nec similis mei annuncians futura, indicat aperte, nulli ei in hoc assimilari posse: ubi Hieronymus ita scribit, Ab initio considerate, mundi, quod præter me nullus sit Deus, nec alius poteris scire ventura, nisi ego, qui per Prophetas nuncio, & in illud Daniel. 2. somnium itaque, &c. Constatentur Magi, constantur Arioli, & omnis scientia seculari literatura, præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei, ex quo probatur, Prophetas spiritui Dei loquutos. Cum dicit non esse hominum, sed Dei, Angelos etiam excludit: alioquin non recte diceret, sed Dei: neque inde recte colligeret, prophetas futura prænunciantes spiritui Dei loquutos fuisse, si demonum arte futura præscire poterunt. Ex eadem prædictione futurorum colligit Isaias veram deitatem, Quæ ventura sunt (inquit) annuntiate nobis, & scimus quia dixisti vos: ubi late ostendit Hieronymus, non potuisse idola prædicere futura. Probat autem, quia nec templorum suorum ruinam præscierunt. Quocirca recte Origen. lib. 6. contra Celsum longe à principio, inquit, divini sermonis characterem esse futurorum prædictionem, quæ in humanam naturam non cadit, & iudicatur ex euctibus, quando evidens sit divini spiritus prænuntiatio. Iure igitur Damasc. loco allegato non tantum demonibus, sed etiam Angelis bonis secundum se consideratis denegavit futurorum ex libero arbitrio præscientiam: Angelos vero bonos hæc futura prænosse Dei revelatione, malos autem sola coniectura, docuit. Ceterum quamvis hoc Scholasticis nostris certissimum sit, difficile tamen est rationem assignare, ob quam hæc futura ab Angelis præsciri non possint.

CAPVT II.

Qua ratione nonnulli probent hæc futura ab Angelis certo non cognosci.

Nonnulli Scholastici à priori monstrare conantur, futura contingentia ex libero arbitrio, ab Angelis non posse cognosci, hac ratione. Hæc futura aut cognoscuntur ab Angelis in causis, aut in seipsis: non in causis quia liberum arbitrium ex se indifferens est ad vnam & alteram partem, & æque respicit vnam, atque alteram: ergo ex illo non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus. Non in se ipsis, qui hoc solius Dei videtur proprium, qui ut est æternus, æternitate sua omnia tam futura, quam præterita habet præsentia: ergo nullo modo futura ab Angelis certo cognosci possunt.

Verum hæc ratio infirma est: quia liberum arbitrium esse indifferens ad vtranque partem, non

Videtur in 1. p. 10m. 2.

obest, quo minus altera pars contradictionis determinate sit vera, & altera falsa, ut late ostendimus disp. 66. c. 2. & 3. neque enim indifferentia & libertas arbitrij in eo esse potest, quod putatur Arist. nempe, ut nec vna pars sit vera: nec altera falsa, sed vtrique vera vel falsa, ut ibidem fufius probauimus: cum igitur in futuris altera pars sit vera, & altera falsa: sequitur vtramque suo modo scibilem esse, hoc est, veram ut veram; falsam autem, ut falsam. Cur ergo sicut à Deo cognoscitur, ab Angelo præsciri non poterit. Nam quod dicebatur à Deo cognosci propter præsentiam realem in eius æternitate, falsum esse monstrauimus disp. 64. c. 3. quare hac ratione non satis probatur, non posse futura ab Angelo non recte cognosci in sua causa, si cum ea comparata veritatem habent. Et quamvis probaretur, non posse ab Angelo cognosci proprio & quidditatiuo conceptu, quod adhuc præcedenti ratione monstratum non est, non liceret colligere, alieno saltem conceptu non posse certo ab Angelis cognosci, sicut futura eclipsis ab Astrologo euidenter præscitur.

Possent præterea aliquis nimium contendere, & affirmare hæc futura ab Angelis præsciri non tantum certo, sed proprio & quidditatiuo conceptu, ac si præsentia eissent, aliter, quam ab Astrologis eclipsis cognoscitur, quia homines ex rebus præsentibus species accipiunt, & per ea quæ vident, cognoscunt futura. Angelus vero, cum non accipiat species à rebus, si semel aliquid certo cognoscere potest ut proprium obiectum, sequitur posse illud apprehendere proprio conceptu: contra hunc autem ratio philosophica superius allata vim non haberet, ut patet. Quocirca ego existimarem, non posse ratione philosophica à priori veritatem prædictam probari, recte tamen Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimoniis: id quod viro Theol. satis esse debet. Est etiã ratio philosophica à posteriori conuincens, & manifesta: nam oracula demonum, etiam ipsis Ethnicis, & gentilibus testantibus, plena sunt mendaciis, signum igitur est, futura contingentia ab ipsis certo non posse cognosci: nam si præsciri possent, Deus non denegaret illis hanc scientiam nec perpetuo ab operatione naturali eos impediret. Adde etiam, quod apud Ethnicos & gentiles adeo diuinum existimabatur, prædicere futura, ut qui similia prædiceret, in Deorum numerum ab ipsis referrentur; ideoque præscire futura, diuinare dicitur, quasi diuinum munus sit futura præcognoscere: quamvis ergo ratione naturali à priori non ita aperte hæc veritas probari possit, vique adeo tamen nota est philosophis, etiam Ethnicis, & gentilibus ut omnium animis quasi naturaliter insita videatur.

Alia quoque ratio à posteriori solet afferri ad idem probandum: quia si posset Angelus aliquod futurum contingens propria virtute præscire, posset etiam omnia, quod est absurdum, omnia enim sunt infinita: infinita autem non possunt ab intellectu finito præsciri, quia infinitæ futuræ sunt cogitationes, & motus voluntatis create. Respondere tamen aliquis posset non posse omnia simul ab Angelo præsciri, recte tamen sigillatim. Quare ex eo, quod vnum possit cognoscere, non sequitur aliquid absurdi.

Obseruandum tamen est id, quod docet S. Th. in duabus propositionibus articuli, nempe in 2. & 3. verissimum esse. In secunda enim docet, futura contin. Angelis.

contingentia, quæ frequenter eueniunt, cognosci posse ab Angelis coniectura aliqua: intelligit autem etiam ea, quæ pendent ex libero arbitrio: cum enim homines ut plurimum ex libero arbitrio operentur secundum impetum passionum, ratio aliqua est, ut huiusmodi futura coniectura aliqua cognoscantur. In tertia vero conclusione docet, ea futura, quæ raro eueniunt, neque vlla coniectura posse præcisci, id quod manifestum est: nam in illis, quæ raro eueniunt, non est aliqua ratio, qua cognosci possit futurum; imo vero facilius oppositum coniectura aliqua existimatur futurum.

CAPVT III.

Argumentum difficile contra præcedentem doctrinam, cui Doctores vario respondent.

Ceterum in opinione eorum, qui docent, Angelos cognoscere res omnes per species sibi ingentitas à principio suæ creationis, est difficile argumentum, quod probari videtur, aut futura præcisci ab Angelo proprio, & quidditatio conceptu; aut certe nulla ratione præsentia posse cognosci: aut tandem Angelos accipere species à rebus, per quas intelligant. Nam vel Angeli habent ab initio suæ creationis species proprias rerum omnium, quæ postea futura sunt, vel non habent. Si non habent, necesse est, ut dicamus, Angelum non intelligere per species, sed per suum intellectum nudum, vel certe accipere species à rebus ipsis. Si vero ab initio habent species proprias futurorum sequitur, posse futura, antequam sint, ab Angelo propria virtute cognosci: intellectus enim instructus specie alicuius obiecti potest illud intelligere, non solum alieno conceptu, & instar aliarum rerum, verum etiam quidditatio & proprio. Præterea dixi, argumentum hoc in eorum solum sententia difficile esse, qui putant species omnium rerum, etiam futurarum, Angelis inditas esse ab initio suæ creationis. Varie tamen ei satisfacere conatur, qui prædictam sententiam amplectuntur.

Caletani responsio.
Primo respondet Caletan. in superiori art. 5. Quod secundum, species intelligibiles ingenitas Angelis, eodem modo se haberet ad futura, sicut si oculo esset ingenita species visibilis coloris. Sicut autem per illam non videretur color futurus, sed præsens: sic etiam per species intelligibiles rerum futurarum Angelus eas non cognoscit, donec præsentis sint. Ratio vero est, quoniam inter repræsentans & repræsentatum requiritur relatio realis similitudinis hæc autem non est nisi inter res actu existentes: est igitur necessaria existentia obiecti, ut conditio necessaria ad hoc, ut species indita Angelo illam dicatur repræsentare: re autem existente, absque vlla mutatione in ipsa specie incipit repræsentatio, ac proinde iam potest esse principium cognoscendi rem illam; quia iam incipit illam repræsentare. Cum Calet. plane sentit Ferrar. 2. contra gentes, cap. 96. §. Ad euidentiam, & videtur solutio desumpta ex Aegidio in 2. d. 7. qu. 1. art. 1. ad 2. ubi inquit, per species inditas angelo à principio sui esse non cognosci futura, sed præsentia, quia res præsentis siue specierum mutatione incipiunt repræsentari, quæ antea cum essent futura, non repræsentabantur. Eam quoque indicare videtur S. Thom. in hoc art. ad 3. cum ait futura non cognosci ab Angelo per species innatas, quia nondum habent naturam, per quam assimilantur specie-

bus. Sed verba S. Thom. imo etiam Aegidii caput sequi in bonum sensum interpretabimur.

Hæc tamen solutio Caletani multis impugnat potest. Primum quidem in visu, in quo, si esset species visibilis coloris antequam color esset, non minus fieret visio, quam si color esset, & regione positus: nam sicut abeuntibus sensibilibus manet in visu sensatio, ut supra disputatione 38. cap. 2. et doctrina Aristot. Augustini, atque experimento comprobauimus, eodem modo, antequam color produceretur, posset esse visio, si species illius propria in oculo à Deo conseruaretur: nam quæ maior ratio esse potest, ut colore abeunte vel per motum, vel per corruptionem desinente manere possit in oculo sensatio illius, ac si præsens esset, & tamen futuri coloris esse nequeat? Porro autem, idem esse colorem recedere à visu per motum, vel per corruptionem desinere, nulli dubium esse potest: nam sicut ex vehementi sensibili abeunte per motum manere potest species, & ratione illius fieri sensatio, sic etiam manere potest species obiecto corrupto, & eodem modo fieri sensatio. Quare exemplum allatum à Caletano nullius momenti est. Ex quo etiam præterea apparet, necessarium non esse existentiam obiecti realem, vtrum repræsentetur. Deinde hoc ipsum hæc ratione probatur: repræsentatio obiecti non est relatio similitudinis, quod reperitur inter ea, quæ secundum se genere differunt: species enim, quæ est accidentis repræsentat substantiam, & species spiritualis repræsentat corpus: quid ergo obstat quo minus hæc relatio possit esse ad obiectum futurum, vel eo præsertim, quod eadem esse potest ad obiectum præteritum; alioquin nulla species esse posset principium cognoscendi præteritum, si nulla posset esse cognoscendi futurum: nam si inter præsens & futurum non est relatio realis necessaria ad repræsentationem, quia talis relatio requirit terminum existentem, eadem ratione inter præteritum, & præsens esse non poterit. Quis autem dicat, præterita ab Angelo non cognosci: cur ergo futura non cognoscuntur, si eorum species Angeli habent?

Tertio, respondent alij, per species illas non

cognosci futura ut futura: sed res illas, quæ reuera futurae sunt, simplici tantum cognitione, non considerata earum existentia, apprehendi: ac si dicant, rem illam futuram solum apprehendi ut possibilem, & secundum essentiam. Quam solutionem videntur sibi ex S. Thoma colligere in hoc articulo, in solutione tertij, quo nihil minus, ut opinor, ipse cogitauit. Sed ratione non minus efficaciter impugnari potest primum, quia species illa à principio creationis concessa Angelis, sunt species rerum futurarum secundum omnem circumstantiam temporis, loci & causæ, ita ut per eandem species cognoscant, esse hoc tempore, & loco, & ab hac causâ, quando præsentis sunt: si ergo sunt principium cognoscendi res præsentis cum omnibus circumstantiis, nulla in ipsis speciebus mutatione reali facta, ut solutio hæc supponit: cur non possent esse principium cognoscendi res easdem cum eisdem circumstantiis, antequam præsentis essent? Siquidem ipsarum propriæ species sunt.

Deinde, si Angelis indite sunt species rerum, in omnium sententia solum indite fuerunt species futurarum, non autem possibilem, earum saltem, quæ à Deo solo fieri possunt: nam rerum, quæ fieri possunt à secundis causis, qualis est generatio possibilem equi, aut alterius bruti, vel mortui, vel alterius operationis secundæ causæ, habet quidem Angelus species ab initio infusæ, vel saltem per ipsas species substantiarum, & causarum, operationes earum, & effectus naturales possibilem cognoscere potest. At vero rerum, quæ fieri possunt à solo Deo, & futuræ non sunt, non habet species, ut omnes fatentur, sed tantum rerum futurarum: hoc optime ipse nouit: ergo si expectatur in se notitiam alicuius animæ; aut hominis non præteriti, nec præsentis; colligere certissimè poterit, illum esse futurum: quia altoqui proprium conceptum illius non haberet: sicque cognosceret homines, & animas futuras.

Quarto demum alij respondent, Angelum quidem habere species ingentis rerum, in illis tamen representari res non tantum futuras, sed etiam possibilem: atque adeo non recte Angelum discernere, quæ illarum sint possibilem, quæ vero sint futuræ. Ceterum, ut supra dicebamus, quantum hoc verum esset de operationibus futuris, & possibilem causarum secundarum: illud tamen verum non est de rebus, quæ à solo Deo fieri possunt, ut animarum, & etiam hominum. Homo enim licet à secunda causâ generetur, constat anima rationali, quæ à solo Deo dependet: & ideo Angelus non potest cognoscere homines possibilem fieri à Deo, sed aut præsentis, aut præteriti. Quod si etiam futurorum habet species, sequitur recte etiam ab eo cognosci, quinam sint futuri: eos enim recte distinguere posset à præsentibus, & præteritis, & præterea à possibilem, quia horum speciem non habet, nec propriam notitiam, ut dictum est.

CAPVT IV.

Vera solutio superioris argumenti.

Ceterum, ut argumentum superius factum diluamus, duo notanda sunt. Vnum est, speciem intelligibilem ideo dici similitudinem & representationem obiecti, non quia actu faciat rem cognosci: hoc enim proprium est speciei, quam

Videtur in 1. p. tom. 2.

verbum & speciem expressam, & actualem representationem obiecti vocamus: sed ideo dicitur obiectum representari in specie intelligibili, quia illa est principium eliciendi intellectionem seu cognitionem, quæ est futura species expressa, & similitudo actualis obiecti. Quæ de causâ species intelligibilis dicitur habitualiter, seu in actu primo præsentare obiectum.

Alterum notandum est, sicut in agentibus naturalibus non sufficit habere principium sufficiens ad operandum, sed necesse est habere etiam materiam & obiectum debite dispositum; in quo recipiatur operatio, ut causâ efficiens operetur: ita in potentiis cognoscentibus præter facultatem ipsam innatam & speciem, quæ constituuntur in actu primo completo ad operandum, necessarium est obiectum proprium & naturale, esse quod operari possit. Visus enim etiam instructus specie non operatur, circa sonum, nec auditus circa colorem: non dico necessariam esse præsentiam aliquam realem obiecti proprii, ut eliciatur cognitio circa illud: nam intellectus non postulat hanc obiecti præsentiam, imò neque sensus eam postulare, si in absentia illius species impressa conseruaretur, ut paulo ante dicebamus: sed dico, præter speciem necessariam esse obiectum certum & determinatum, circa quod operatio facultatis cognoscentis terminetur, ut eliciatur operationem.

Cum igitur futura contingentia non sint intra latitudinem obiecti naturalis intellectus Angelici, ut supra probatum est: efficitur, ut quandiu res futura est, ab Angelo cognosci non possit, etiamsi illius habeat speciem intelligibilem: illa enim species non est actualis & expressa representatio rei futuræ, sed habitualis tantum, & quasi in actu primo ad eliciendam expressam: cumque futurum, ut futurum, non sit obiectum naturale huius speciei, sed eadem res solum quatenus præterita, aut præsens, sequitur, eo tempore quo adhuc res futura est, per speciem illam non representari habitualiter: hoc est, speciem illam non esse principium eliciendi cognitionem illius rei prout futuræ, sed solum prout præsentis, & præteritæ: hoc autem fit absque vlla in ipsa specie variatione, ex eo solum, quod comparata cum hac re habet illam pro obiecto sibi proprio, comparata vero cum alia re illam non respicit ut obiectum proprium, ac proinde potest esse principium eliciendi cognitionem vnius rei, & non alterius: quia principium cognitionis operatur circa rem certam & determinatam, quam habet ut proprium obiectum. Difficultas vero argumenti propositi vim habet, si species intelligibilis impressa ita obiectum representaret, ut in ea intellectus veluti in speculo rem intelligere, ut quibusdam placet: hoc autem ego falsum existimo: nec enim intellectus conuertitur ad speciem tanquam ad speculæ, ut in ea obiectum intueatur, eury talis conuersio vix possit explicari, sed intellectus specie impressa instructus, & quasi in actu primo, elicit cognitionem illius obiecti, cuius dicitur esse species illa. Eodè pacto, licet diceremus, Angelum intelligere res creatas absque vlla specie ipsarum virtute natua solius intellectus, philosophandum esset de cognitione futurorum: cum enim facultates cognoscentes non operentur, nisi circa proprium obiectum, & futura contingentia non sunt obiectum intellectus considerati secundum propriam virtutem.

Enimvero contingencia non sunt obiecta naturalia.

16.

sequi.

X x 3

sequitur nunquam ab eo posse cognosci, nisi peculiari reuelatione. Atque hinc soluitur difficultas proposita disp. 19. c. 3. quare scilicet Angelus non cognoscat futura, si non indiget speciebus ad intelligendum, sed sola virtute nativā intellectus intelligit ea. Respondetur enim, intellectum solum posse operari circa obiectum proprium: futura autem ex se non esse obiectum proprium & naturale intellectus, ut probatū est.

Capreolus.
17.

In hunc sensum interpretari possemus aliqua Scholasticorum dicta. Primum quidem Capreoli in 2. dist. 3. q. 2. art. 3. art. 1. Gregorij, contra tertiam conclus. circa finem solutionis, ubi inquit, ideo futura non cognoscitur ab Angelis, non quia Angeli accipiant cognitionem à rebus, (intelligit per modum efficientis) sed quia ipsa futura capacia non sunt cognitionis, nec ei subiciuntur: ac si diceret, ideo non cognosci, quia non sunt obiecta intellectui Angelico accommodata. Eodem pacto videtur loquutus S. Thom. in hoc art. in solutione tertij, cum dixit, species Angeli æqualiter quidem se habere ad præsentia, præterita, & futura: ipsa tamen futura, & præterita non eodem modo comparari cum speciebus, quia futura, cum nondum sint, non habent naturam, per quam speciebus assimilantur: ac si diceret, nondum esse obiecta idonea, ut per illas species intelligi possint: quamvis species ex se sint illarum rerum, quæ futura, sicut præterita, & præsentia esse possunt: hoc enim videtur significare S. Doctor, cum ait, species æqualiter se habere ad præsentia, præterita, & futura. Quod si hoc tantum voluit docere Hieronymus, cum in quarta opinione, quam existimat probabiliorē, inquit, non intelligi futura, per species infusus Angelo ab initio, quia res ipsæ futuræ non determinant species, vera est eius doctrina. Si vero docere velit id, quod Doctores allegati superiori capite in secundo modo respondendi dixerunt; eius sententia eodem modo, atque illorum responsio impugnanda est.

Obiectio.

Sed obicit aliquis, Si Deus infunderet oculo speciem coloris futuri, fieret visio illius, ac si præsens esset, quemadmodum paulo ante dicebamus, abeuntibus sensibilibus manere aliquando in organis sensuum sensationes: ergo eodem modo si intellectus Angeli haberet speciem rei, quæ futura est, non tantum illam cognosceret ut præsentem, & præteritam, quando revera præsens, & præterita est, sed etiam ut futuram. Respondeo, diversam esse rationem speciei, in oculo, & in intellectu: nam species in oculo solum præstat visionem coloris, aut lucis secundum se, ac si præsens esset, sine iudicio præsentis, præteriti, aut futuri: species autem intelligibilis debet esse principium cognoscendi rem cum iudicio futuri, præsentis, aut præteriti: iudicium autem futuri habere non potest Angelus, & ideo species in intellectu rei, quæ vere futura est, non potest servire ad intellectionem futuri, nec respectu illius est principium intelligendi.

19.

Fateor, multo facilius omnibus difficultatibus responderi posse, si dicamus Angelum non intelligere per species inditas, sed per nudam potentiam intellectus: & ideo non intelligere futura, quia illa non sunt obiecta naturaliter intellectui accommodata: nihilominus, etiam si defendamus, Angelum præditum esse speciebus ab initio, difficultates, ut supra, dissolvere, non erit difficile.

Cæterum circa cognitionem præteritorij multa Theologi recentiores conflant præteritiā explicanda cognitione præteritorum, quæ dicuntur memoria. Est enim memoria seu recordatio, ut præterita & prius cognitæ consideratio. Dicitur vero nonnulli memoriam & recordationem fieri in Angelis, & in nobis per speciem quandam relictam ex cognitione præterita, ita ut per illam cognoscamus rem, & cognitionem præteritam illius, & hoc sit recordatio, aut memorari eius. Et eodem modo defendunt rationem memoriæ & recordationis in sensu: memoria enim non solum est patris intelligentis, sed etiam sentientis, ex sententia Arist. in 1. 2. de memoria & reminiscencia. Verum cum nullus sensus suam sensationem sentire possit, quia sensatio sensibilis non est alioquin sentiens, in qua parte fiat sensatio, quantæ etiam magnitudinis sit, quod est absurdum: sequitur, essentialium non esse, recordationem & memoriam fieri per speciem cognitionis præteritæ: sed fieri in sensu defendere possumus rationem memoriæ & recordationis sine specie cognitionis præteritæ, etiam si memoria sit cognitio rei præteritæ, & ut prius cognita, eodem modo explicare possumus in intellectu recordationem & memoriam sine specie cognitionis præteritæ. Ut autem hoc obiter dicamus, quod fufius examinandum philosophis relinquimus, in memoria in sensu hoc solo fit, quod rem præteritam cum eadem circumstantiis temporis, & loci apprehendimus sub quibus antea nobis cognita fuit. Sic enim dicunt rem illam cognoscere ut præteritam, & ut prius sentiatam aut cognitam.

An vero Angelus cognoscere possit rem præteritam ut præteritam, quæ revera præterita fuit, sed quam prius non cognovit: difficultatem habet: hoc est, utrum Angelus, si modo crearetur, posset naturali virtute cognoscere quicquid ab initio mundi gestum est, quod dum ille præterit, ab eo recte cognosceretur; an non: atque, ut verum fatear: ego nullam rationem invenio, ut dicam præterita huiusmodi ab Angelo naturaliter cognosci non posse: quoniam Scholastici & Patres communiter solum denegant Angelo secundum propriam ipsius virtutem cognitionem futurorum: cetera igitur omnia naturalia cognitioni illius subiecta esse putant: quid ergo obstat potest, quo minus talia præterita ab Angelo cognoscantur? Primum quidem, si dicamus, ipsum non indigere speciebus infusus, aut inductis a Deo: sic enim sola vi naturalis intellectus absque speciebus ea cognosceret. Tum etiam si speciebus indigeret ad intelligenda obiecta naturalia, & has posuisset naturaliter à Deo infundi: sic enim haberet species præteritorij, ac proinde naturaliter ea cognosceret.

Tandem, quomodo possibilia ab Angelis cognoscantur, explicandum est. Dico igitur, possibilia, quæ sunt in potentia naturali creature, creari ab Angelo cognosci. Nam cum Angelus recte intelligat & penetret vim & naturam casualis creature, recte etiam cognoscat omnia, quæ ab ea fieri possunt. Non dico omnia possibilia naturalia: hæc enim sunt infinita: sed omnia possibilia secundum speciem diversā. De individuis autem dicendum est, singula cognosci posse ab Angelo, non simul, quia infinita sunt, sed paulatim, quia nullum est, quod cognoscere non possit, si appetere velit.

Secundo

Cognoscit ea, quæ non implicant contradictionem in creatura, ut à Deo in ipsa fieri possint, veluti si possit facere cognitionem sine vilo concursu creaturæ: si possit rem productam & annihilatam iterum creare, & alia id genus. Ratio vero est, quia Angelus ita perfecte intelligit naturam, & proprietatis cuiuscunque creaturæ, ut recte etiam cognoscat, quid ei repugnet, aut contradictionem implicet circa illam. Supposito etiam, quod recte cognoscat iam naturam peccati, & gratiæ, recte ipse cognoscat, an potentia absoluta Dei possint esse simul, an peccatum sine gratia, vel sine alia intrinseca mutatione deleri possit.

Tertio demum pronuntio, possibiles naturas substantiarum, quæ à solo Deo produci possunt, non cognosci ab angelo, non solum omnes, sed neque aliquam illarum. Itaque Angelus non cognoscat, an possit Deus producere hoc genus beluarum, & brutorum, hanc creaturam rationalem, vel aliam: dixi autem speciatim hoc genus, vel hanc speciem: nam in vniuersum recte nouit, posse à Deo produci alias species rerum: speciatim vero non cognoscat; quia non est maior ratio, quare hanc speciem potius, quam aliam cognoscat; omnes autem non potest, quod infinitæ sint, nec principium aliquod naturale habeat, unde singulas illarum cognoscere valeat.

ARTICVLVS IV.

Utrum Angeli cognoscant cogitationes cordium.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod angeli cognoscant cogitationes cordium. Dicit enim Greg. in Moralibus super illud Iob. 28. Non æquabitur ei aurum vel vitrum, quod tunc, scilicet in beatitudine resurgentium, vnus erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi; & cum vniuscuiusque intellectus attenditur, simul conscientia penetratur. Sed resurgentes erunt similes angelis sicut habetur Matthæi 22. c. Ergo vnus Angelus potest videre id, quod est in conscientia alterius.

2. Præterea. Sicut se habent figura ad corpora, ita se habent species intelligibiles ad intellectum. Sed viso corpore videtur eius figura. Ergo visa substantia intellectuali videtur species intelligibilis, quæ est in ipsa. Ergo cum angelus videat alium angelum & etiam animam: videtur quod possit videre cogitationem vtriusque.

3. Præterea. Ea, quæ sunt in intellectu nostro, sunt similia Angelo, quam ea quæ sunt in phantasia: cum hæc sint intellectui in actu, illa vero in potentia tantum. Sed ea, quæ sunt in phantasia, possunt cognosci ab Angelo, sicut corporalia, cum phantasia sit virtus corporis. Ergo videtur, quod angelus possit cognoscere cogitationes intellectus.

Sed contra est, quod proprium Dei non conuenit Angelis. Sed cognoscere cogitationes cordium est proprium Dei, secundum illud Ierem. 17. Prauum est cor hominis & in scrutabile, & quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans, &c. Ergo Angeli non cognoscunt secreta cordium.

Respondeo dicendum, quod cogitatio cordis dupliciter potest cognosci. Vno modo in suo effectu, & sic non solum ab angelo, sed etiam ab homine cognosci potest, & tanto subtilius quanto effectus huiusmodi fuerit magis occultus. Cognoscitur enim cogitatio interdum non solum per actum exteriorem, sed etiam per immutationem vultus. Et etiam medicis aliquas affectiones animi per pulsum cognoscere possunt; & multo magis angeli, vel etiam demones, quanto subtilius huiusmodi immutationes occultas corporales perpendunt. Vnde August. dicit in lib. de diuinatione demonum, quod aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatis, verum etiam cogitatione conceptas: cum signa quædam in corpore exprimuntur ex animo, tota facilitate perdiscunt. Quamuis in lib. Retractionum hoc dicat non esse asserendum quomodo fiat. Alio modo possunt cognosci cogitationes prout sunt in intellectu: & affectiones prout sunt in voluntate, Et sic solus Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoscere potest. Cuius ratio est: quia voluntas rationalis creatura soli Deo subiacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est principale eius obiectum ut videmus finis: & hoc magis infra patebit. Et ideo ea, quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota. Manifestum est autem, quod ex sola voluntate dependet, quod aliquis actu aliqua consideret: quia cum aliquis habet habitum scientiæ, vel species intelligibiles in eo existentes, utitur eis cum vult. Et ideo dicit Apostolus 1. Corinth. 2. quod quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis, qui in ipso est.

Ad primum ergo dicendum, quod cogitatio vnius hominis non cognoscitur ab alio propter duplex impedimentum, scilicet propter grossitiam corporis, & propter voluntatem claudentem sua secreta. Primum autem obstaculum tollitur in resurrectione, nec est in Angelis. Sed secundum impedimentum manebit post resurrectionem, & est modum in Angelis. Et tamen qualiter mentis,

tis, quantum ad quantitatem gratiæ & gloriæ, repræsentabit claritas corporis. Et sic vnus mentem alterius videre poterit.

Ad secundum dicendum, quod et si vnus angelus species intelligibiles alterius videat per hoc, quod modus intelligibilium specierum secundum maiorem & minorem vniuersalitatem proportionatur nobilitati substantiarum, non tamen sequitur quod vnus cognoscat, quomodo alius illis intelligibilibus speciebus vitur actualiter considerando.

Ad tertium dicendum, quod appetitus brutalis non est dominus sui actus, sed sequitur impressionem alterius causæ corporalis, vel spiritualis. Quia igitur angeli cognoscunt res corporales & dispositiones earum, possunt per hæc cognoscere quod est in appetitu, & in apprehensione phantastica brutorum animalium, & etiam hominum secundum quod in eis quandoque appetitus sensitiuus procedit aetum sequens aliquam impressionem corporalem, sicut in brutis semper est. Non tamen oportet, quod angeli cognoscant motum appetitus sensitiui, & apprehensionem phantasticam hominis, secundum quod mouentur à voluntate & ratione: quia etiam inferior pars animæ participat aliquam rationem: sicut obediens imperanti, ut dicitur in 1. Ethic. Nec tamen sequitur, quod si angelus cognoscit quod est in appetitu sensitiuo, vel phantasia hominis, quod cognoscat id quod est in cogitatione vel voluntate: quia intellectus & voluntas non subiacent appetitui sensitiuo & phantasiæ, sed potest eis diuersimode vti.

CONCLUSIO est, Cogitationes & affectiones cordium, ut sunt in intellectu, & voluntate, non possunt ab Angelo naturali ipsius virtute cognosci, sed à solo Deo. Circa hunc articulum non solum ea, quæ ad ipsum pertinere videntur, examinanda sunt: sed etiam omnia, quæ spectant ad questionem 107. de locutione Angelorum, quod huic articulo connexa sunt. Primo autem loco tractabimus ea, quæ Sanctus doctor in hoc articulo docet.

DISPUT. CCIX.

An cogitationes & effectus cordis nostri ab Angelo propria virtute certo cognoscantur.

Cogitationes cordis, & volitiones cognosci ab Angelo, non solum quid sint, sed etiam circa quid sint, senserunt Hieronymus, & Durandus. cap. 1.

Secreta cordium sola Dei voluntate impediunt ab Angelis non cognosci, dixerunt Scotus, & alij. cap. 2.

Communem sententiam, quæ assertit, secreta cordium non posse ab Angelis suapte natura cognosci, à Thoma de Argentina & Algilio explicatur. cap. 3.

ARTIC. IV.

Secundus & tertius modus, quo prædictam communem sententiam explicat Hieronymus. cap. 4.

Quartus modus explicandi eandem communem sententiam ex S. Thoma, Alexandro, & alijs præsumitur ratione Ricardi. cap. 5.

Eandem modum defendendi communem sententiam aliter probant Sanctus Thomas, Caietanus, & Ferrariensis, quem impugnant Scotus, & Durandus. cap. 6.

Rationi Durandi respondet Ferrariensis. cap. 7.

Eidem rationi Durandi respondet Caietanus. cap. 8.

Communem sententiam alia ratione confirmat Gregorius. cap. 9.

Iudicium auctoritatis in presenti controversia. cap. 10.

CAPVT I.

Cogitationes cordis, & volitiones cognosci ab Angelo, non solum quid sint, sed etiam circa quid sint, senserunt Hieronymus & Durandus.

PRESENS controuersia non modo intelligenda est de actionibus voluntatis, sed etiam de cogitationibus intellectus, utraque enim nominis cognitionis cordis nunc intelligimus. Loquimur etiam non solum de cogitationibus cordis Angelici, sed etiam humani, & inquirimus, an possit vnus Angelus cognoscere secretas cogitationes cordis alterius Angeli, aut hominis, antiquam voluntate ipsius Angeli, aut hominis, manifestentur. In qua quidem quaestione vsque adeo varia sunt Theologorum placita, ut vix similitudine singula recensere possimus. Verum, ut rem hæc elucidemus, necesse erit non solum quid nobis probeatur, sed etiam quid ab alijs dicatur persequi.

Prima igitur opinio sit Hieronymi 2. dist. 3. quæst. 3. assertentis cogitationes cordis nostri, aut vnus angeli posse ita ab alio Angelo cognosci, ut manifestum illi sit, non modo quid sint illæ cogitationes, sed etiam circa quid sint, hoc est, circa quod obiectum versentur: vtrum etiam sint per modum fugæ, an prosecutionis, affirmationis, negationis: solum vero vni angelo occultum esse, & discerni ab eo non posse circa quod obiectum affectus & cogitatio alterius angeli, aut hominis magis intensè feratur. Vnicuique autem est huius sententiæ, & sequentis fundamentum, videlicet quia cogitationes & affectus cordis sunt quedam entia naturalia, non aliter, quam substantia ipsiusmet Angeli, imo multo inferiorem rationis: quod ergo obstat potest, quo minus ab vnoquoque angelo, qui substantiam alterius perficit, intrinsecus, cognosci & intelligi certissime possint, etiam si non manifestentur.

Huius sententiæ meminit Durandus in eadem dist. quæst. 5. num. 10. & eam non solum probabilem putat, sed etiam addit, cogitationes, & affectus vnus angeli, aut hominis ab alio angelo omnino cognosci. Primum quid sint: deinde circa quid versentur, per modum fugæ, an prosecutionis, affirmationis, aut negationis, postremo circa quod obiectum homo, aut Angelus intus operetur. Censet enim non posse rationem assignari, ob quam, cum angelus cognoscat cogitationes & affectus cordis, quid sint, & circa quod obiectum, per modum affirmationis & negationis versentur, cognoscere non possit etiam circa quid intentus operetur: cumque iustitiam existimet esse rationem superius allatam, ut ab eo